Prasl[illegible]

Ep[illegible] Seruus Seruorum dei Dilecto filio Magistro Antonio Johannis de Noceto clerico Lunen. dioc. Scriptori
et familiari nostro Salutem et apostolicam benedictionem. Gratia deuotionis obsequia que nobis hactenus impendisti et adhuc solicitis studiis impendere non desistis necnon uite ac morum honestas aliaque
laudabilia probitatis et uirtutum merita quibus personam tuam tam familiari experientia quam etiam fidedignorum testimoniis uiuam percepimus nos inducunt ut te specialibus fauoribus et gra-
tiis prosequamur. Cum itaque hodie de persona dilecti filii [illegible] Venerii Electi Suacusan. tunc litterarum apostolicarum Scriptoris ecclesie Suacusan. tunc uacanti de fratrum nostrorum consilio
duxerimus apostolica auctoritate prouidendum preficientes ipsum eidem ecclesie in Episcopum et pastorem ac decernentes extunc officium Scriptorie litterarum earundem quod dictus [illegible] tunc
obtinebat per promotionem et prefectionem huiusmodi duntaxat uacare. Nos uolentes te qui etiam alias officium litterarum earundem obtinuisti ac continuus commensalis nostri exis-
tis premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem motu proprio non ad tuam uel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam sed de nostra mera libera-
litate officium predictum siue ut premittitur siue alias quouis modo uacet cum omnibus honoribus emolumentis et oneribus consuetis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo etiam
prouidemus teque in Scriptorem litterarum huiusmodi eadem auctoritate recipimus et in locum dicti Antonii Jacobi surrogamus ac dilectorum filiorum aliorum ipsarum litterarum Scriptorum
numero et consortio fauorabiliter aggregamus decernentes te in earundem litterarum Scriptorem et ad huiusmodi Scriptorie officium eiusque liberam exercitium necnon honores emolumenta
et onera predicta eximie admittendum fore et admitti debere. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac de certo eorundem Scriptorum numero necnon priuilegiis
et indultis ac litteris generalibus uel specialibus sub quauis uerborum forma eisdem Scriptoribus per nos uel sedem apostolicam hactenus concessis que alias in suo robore permanere uolumus
ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis prouisionis receptionis surrogationis aggregationis constitutionis et uoluntatis
infringere uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.
Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimoquadringentesimosexagesimo Tertio Idus Januarii Pontificatus nostri Anno Tertio

G. de Piccolomini

Nº 19
10 Gennaio
1460